

quam receptaculum habent, api suis aculeus, musca & regulo alæ, leporibus fuga, qua sibi consulunt, insidiasq; propulsant imo cuncta animalcula vitam suam pacatam providæ debent naturæ: Quam æmulari eos videmus publici qui juris suas lucubrationes facere intendunt. Hinc quia partum hunc meum Minervæ, etiam me invito, suis operibus ascribere placuit, mihi præter patronum, sub ejusdem regimine militantem eligere, nihil est reliquum. Tibi igitur Comes Illustris, Maxime togata & armata Dux militiae, eundem trado submissè, dico humiliter, offero devotè, prohibere quidem debuisset mihi tua Magnificentia & dignitas splendidissima, inhibere tuorum negotiorum gravitas; Nam tria sunt laboriosissima in hoc orbe, in Ecclesia docere, in Oeconomia parturire, in Rep. imperare: Et denique abigere. quod Illustr. Comiti nec per tertium quendam nota sit qualis qualis mea persona. Verùm instauravit me rursus & animum addidit singularis & rarus erga studia, eorumq; cultores, favor quem geris, animi corporisque habitas,

litas,